



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentaria In Regvlas Cancellariæ Apostolicæ: Sive In
Glossemata Alphonsi Sotto, Glossatoris nuncupati**

Chokier, Jean de

Coloniae Agrippinae, 1674

Reg. LI. de dispensatione super defectu natalium ex nobilibus & Graduatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62377)

Argumenta in Regul. XLVIII.

INNOCENTII VIII.

1. **H**æc Regula concernet expeditionem litterarum : ideò non est danda.
2. Nobiles qui dicantur ?
3. Bastardi nobilium an sint nobiles ?
4. Baccalarei dicuntur graduati in Hispania.
5. Hæc Reg. expuncta est ex regulis Posteriorum Pontificum.
6. Nobilitatis definitio.
7. Princeps quos vult potest nobilitare.
8. Nobiles qui distinguantur à generosis ;
9. Gentil. hōmes du nom & d'armes.
10. Fidalguia in Hispania , quæ nobilitas ?
11. Nobilis in lata significatione etiam dicitur qui non est nobilitatis antiquæ.
12. Nobiles de antiqua nobilitate, qui præsumuntur esse.
13. Nobilitas quanto antiquior est , tanto honoratior.
14. Præsumptio nobilitatis quando cesset.
15. Nobilitatis probatio dependet à moribus & consuetudinibus regionum.
16. Nobilis potest haberi in uno loco , & in alio haberi ignobilis.
17. Causa scientiæ in testimonio nobilitatis, quæ debeat esse.
18. Nobilitas probari potest ex antiquis familiarum instrumentis.
19. Nobilitatis probatio in perillustri Cap. Leodien. qualis esse debeat.
20. Reputatio communis, & opinio quæ de jure sufficit ad probandam nobilitatem (licet admittat probationem in contrarium) & in Hispania Hidalguiam debet esse immemorialis.
21. Nobilitas etiam probatur ex antiquis habitationibus , & ex eo quod quis fuit admittus inter Nobiles.
22. Nobilitas unius fratris non probat nobilitatem alterius.
23. Quis dicatur esse de familia antiqua.
24. Talis quis præsumitur, qualis nominatur.
25. Ius patronatus probatur per insignia alicujus familiarum sculpta in Ecclesia.
26. Usus insignium seu armorum gentilitiorum à quo tempore coæptus sit.
27. Imago apud Veteres pro nobilitate, & quæ illa ?
28. Imagines in thecis ligneis, & in atrijs ædium collocabantur, diebusque festis, & lætitiæ aperiebantur.
29. Imagines funera defunctorum sequebantur in perticisque oblongis collocabantur.
30. Ius Imaginis ponendæ quibus competeret.
31. Armorum seu insignium gentilitiorum usus apud quos primum.
32. Cymerium Veteribus quid ?
33. Insignia Collateralium distincta esse debent ab insignijs stirpis seu primo generati familiarum ejusque successorum.
34. Primogenito decedente , secundo, genitus insignia familiarum gestat integra.
35. Brizeure Gallis quid ?
36. Ius Paragij apud Gallos.
37. Mos inter nobiles ut insignia descendens discriminetur ab insignijs primæ

- primogeniti.
33. Author per transennam originem suam ostendit.
39. Majorum stemmata plurimum valent apud posteros ad honorem &c.
40. Præclara Ciceronis sententia.
41. Parum profunt stemmata sine virtute.
42. Ciceroni cognomen fuit ignobile, sed illustre factis reddidit.
43. Doctores ipsædem gaudent privilegijs quibus nobiles.
44. Hidalgi, sive Fidalgi Erymon.
45. Nobilis est cujus mater plebeia, pater nobilis.
46. Gallorum proverbium, La verge anonblit.
47. Plebeia nupta Nobili gaudet privilegio Nobilitatis, si tamen post obitum mariti nubat plebeio excidit privilegio quæsitæ nobilitatis.
48. Erymon dictionum Paganus, & Vilanus.
49. Non omnis qui ruri habitat, ignobilis est, etiam si proprijs manibus arua colat.
50. Nobilitatem generis amittunt, qui viles & sordidas artes exercent.
51. Nobilitas an amittatur mercatura.
52. Honoratior est eorum nobilitas qui civitatem incolunt.
53. Nobilis verè est qui è nobilibus ortus, quique exemptus est ab oneribus & tributis plebeorum, nihilque retent, habitat ne is in civitate, & vocetur Bourgeois, sive Burger.
54. Nobilitati non officit qui Iudicem aut Advocatum egit.
55. Procuratoris officio amittitur nobilitas quod limitatur apud Sabaudos, ut hic.
56. Prærogativa hujus regulæ gaudebit natus ex nobili matre, & patre ignobili, vel è contra, quod non obtinet in privilegio nobilitatis.
57. Baccalaurei Erymon.
58. Alciati opinionem non probat Author, neque D. Argentrei.

Regula L. Innocentij VIII.

DE DIPENSATIONIBVS SVPER DEFECTV
natalium ex nobilibus & graduatis.

Item voluit quod super defectu natalium dentur graduatis, seu de magnis nobilibus genitis per simplicem signaturam quatuor, etiam si Canonicatus & præbendæ Cathedralium seu Collegiarum Ecclesiarum, & per *Fiat ut petitur*, ultra hoc dignitates etiam si majores post pontificalem, & principales in Collegiatis Ecclesijs, alijs verò per *Fiat tria*, & per *Fiat ut petitur* quatuor si petan-

petantur, dummodo Canonatus & præbendæ Cathedralium Ecclesiarum, vel dignitates non existant.

GLOSSEMA ALPHONSI.

Ista Regula dicit quod si unus petat dispensari secum super defectu natalium & ad beneficia, quod si ille sit graduatus vel de magnis nobilibus per signaturam Pape simplicem, scilicet fiat, debent sibi dari IIII. beneficia etiam si canonatus & præbendæ Cathedralium Ecclesiarum existant, sed per signaturam fiat ut petitur, tunc debet addi; etiam si dignitates maiores post Pontificalem vel principales in collegiatis Ecclesijs existant. Si vero non fuerit de magnis nobilibus genitus, debet sibi dari per simplicem signaturam, scilicet fiat ad tria beneficia, & per fiat ut petitur, etiam quatuor si petantur, dummodo non sint canonatus vel dignitates &c. hoc dicit. Et quo ad istas regulas loquentes per fiat, vel per fiat ut petitur &c. idem hodie praticat Cancellaria si signatura fiat per concessum id est per illum cui Pape committit signaturam suam, vel per Vicecancellarium argument. leg. Item eorum §. i. ff. quod cuiuscumque universitatis nomine: quicquid sentiat Bal. in simili in cap. naturales in col. si de feud: fuerit controver. col. x. & licet superius in alia regula dixerim contrarium, tamen audio quod aliquando sic praticatur in Cancellaria, & in hoc standum esset stylo & tolerantia Pape, argument. cap. quam gravi de crimin. fals. & cap. quod translationem de offic. leg. & quod ibi dicit Bald. referendo Io. Ant. quod ista Regula concernit expeditionem litterarum, & non annullat: ideo non deberet dari, nec dabitur ut credo.

Et in quantum ista regula loquitur de genitis ex magnis nobilibus, sciendum est quod nobiles dicuntur tripliciter, quidam sunt Illustres id est nati ex duobus Marchionibus, aut Comitibus qui reputantur Illustres leg. ii. ut dign. ordo fer. lib. xii. Alij sunt sine administratione dignitatis alicujus de prædictis: vel sunt Comites, non tamen reputantur Illustres, sed vocantur magni nobiles, ex quo sic dicantur à nobilibus ex inferiorum nobilium genere, quia in hoc reputantur nobiles ex reputatione ut dicit Bart. late in repetitione leg. i. Cod. de dign. lib. xii. & ultra eum allego cap. i. in princip. & §. si quis verò temerario de pace jur. fir. col. x. & de istis loquitur ista regula; quod apparet, quia equi parat eos graduatis &c. & alij sunt nobiles ex inferiorum nobilium genere, & isti sunt qui communiter differunt à plebeis, & reputantur majores quam plebei, & appellantur diversis nominibus, secundum usum patriæ.

Nam Venetis appellantur fortè Magnates, pro qua nominatione & nobilitate est textus in capitulo primo in pr. ibi, cum omnibus locorum primariis &c. de pace juramento firmanda & Florentie appellantur ut audio Majores.

Majores, & in Hispania vocantur *hidalgos*; ut ex dictis Bar. colligitur & hoc dicitur expresse in d. l. i. & de istis non loquitur ista regula: de quo me remitto ad gl. quam feci in regula prerogatiuarum Pauli super qua nobilitate pugnavi in Curia; & quicquid habeo exinde, habui meis manibus gratia Dei: & hic non oportet specificare illas nobilitates, sed satis est quod quo ad primam & secundam, habeat locum ista regula, & non quo ad tertiam, de qua nobilitate per Bald. in c. quis dicatur dux col. x.

Item non est hic insistendum, an illegitimus sit nobilis: quia non fundat ille text. & jura pro & contra: & consulis super hoc his, quod sic, licet Baldus & Doct. diversi videantur. Sed verum non omittam hic: quia etiam natus ex aliqua Baronissa & aliquo vilano legitime, debet gaudere hac prerogativa huius regulae: faciat c. novit de judi. & ibi dicit Io. And. & glo. ibi Angel. in authen. de incest. nupt. col. lxxi.

Et credo quod non sit danda ista regula, per ea quae dixi supra regula proxima. Camera tamen non curaret de ista solemnitate, sed daret ad quaecumque, quoscumque, & quaeliacumque, etiam sine signatura, ut iam vidi in Curia, & de graduatis hic intelligo etiam de Baccalareis in Hispania, qui etiam ibi reputantur graduati, licet non sit in iure gradus, nisi doctoratus, vel magisterij: sed ad hoc facit glossa l. i. c. de athle. lib. 10. maxime quia differunt a scholaribus, ergo sunt graduati argument, eorum quae dicit Bartolus de nobilibus in d. l. i. de dig. lib. xii.

COMMENTARIA IO. A CHOKIER.

A (Ista Regula) Hac Innocentij Regula expuncta est ex Regulis posteriorum Pontificum, quod beneficiorum pluralitas Sacris Pontificum Constitutionibus & novissimo Sacrosancto Concilij Trid. decreto damnata sit: praeterquam quod Hac Regula concernat tantum expeditionem litterarum, ut & aliquot praecedentes & sequentes, neque extra Curiam quencquam ligant, nec solent produci, ut initio istorum Commentariorum diximus: cum ille tantum inserviant Officialibus Romanae Curiae quibus proprie scriptae promulgataeque sunt: ideo illis non immorabor: mihi enim sufficit quoad hanc Regulam illudque praxim lectorem remisisse ad Rebuffum in praxi tit. de Dispens. super defectu natal. quae vero hic subijciuntur, in gratiam nobilium (quorum hic mentio) & dicitur causa scribentur.

B (Genitis ex magnis nobilibus) Nobilitas ut noster Alphonsus definit ad Reg. prerog. July 11. part. 3. pr. est quoddam honore privilegium proveniens ex dice antiqua, per quod quis differt ab alij communis hominibus. Quae definitio magis placet, quam illa Bartholi qui dicit nobilitatem nihil aliud esse quam qualitas illata per Principem qua quis ultra honestos plebeios acceptus ostenditur, in l. i. nu 62. in pr. c. de dign. lib. 2. ubi Baldus & alij scribunt nobilitatem

codicil.

eodicillis Principis, vel eius beneficio dari. quo pertinet illud Affueri Regis
 de Mardocheo, Esther c. 6. Hoc honore condignus est quemcumque Rex voluit
 honorare. Gutierrez lib. 3. pract. q. 10. nu. 35. Sacrilegij enim instar est ex-
 istimare indignum, quem dignum Princeps dixerit, qui potest quos vult no-
 bilitate ut ajunt Imp. Theodosius, Archadius, & Honorius in lib. Sacrilegij. & 7
 ibi glo. Castren. & Balden. C. de divers. Rescript. Verum, isti distinguuntur à gene- 8
 rosis hoc est ijs, qui ex genere nobiles sunt, quique se gentiles homines id est,
 vulgari lingua *Centils hommes*, quasi dicant se ex gente sua propria trahere nobi-
 litatem, & illam habere antiquam; unde habere volunt *Gentils hommes du nom & d'* 9
armes, & d'ancienne lignee, ou d'ancienne Cavallerie, & talis nobilitas in Hispania vo-
 catur *Fidalguia* quam illi sic definiunt: *Fidalguia*, es Nobleza, que viene à los 10
 hombres por lignage, y así los que la tienen han de procurar que no la dan-
 nen, ni menguen. Gutierrez d. q. 16. nu. 39. Ex quo fit ut quamvis verbum No- 11
 bilis & *παλατιος* seu in lata significatione accipiatur etiam pro nobilibus, qui non
 sunt de genere *l. providendum*, ibi, quos meritum vita nobilissimos facit &c. Cod. de
 ppsul. tamen in stricta significatione, & propria restringitur ad eos solos, qui
 de Ducum, Marchionum, & Comitum genere procedunt, qui reputantur il- 12
 lustres. Ducatus enim, Marchionatus, & comitatus faciunt præsumi qui illos
 tenent nobiles de antiqua nobilitate & stirpe, ut notat Mascard. tract. de probat. & hostes
 noster Alphonfus vocat hic magnos nobiles: quanto enim anti-
 quior est nobilitas, tanto honoratior est, Tiraquel. de Nobilit. c. 18. Guimer. ad 13
 Prag. sanctio tit. de collatio, verbo & antiquo genere pag. 95. magisque relucet à
 parentibus relicta, quam à Principe sine virtute donata Otalor. de nobilit. 3. p.
 67. Mascard. de probat. Conclus. 1094. In alijs porro nobilibus cessat præsump- 14
 tio nobilitatis: cum nobilitas politica non insit à natura, ideoque plenè pro-
 banda est. Covar. Var. resol. lib. 1. cap. 16. num. 10. in fi. Bona Curtil. de nobilit. ar.
 in 6. part. licet hæc probatio videatur potius dependere à moribus, & consue- 15
 tudinibus regionum Castren. conf. 125. In quarto dubio lib. 2. Cassan. ad consuet.
 Burg. Rub. 4. §. 19. in verbo *Entre nobles*. Et ideo potest esse aliquem haberi 16
 pro nobili in aliquo loco, & in alio esse ignobilem per text. in l. munerum. in pr.
 de muneribus. & honor. Ant. Faber. lib. 9. definit. foren. rit. 29. definit. 12. num. 51.
 Nota in una Comen. habitus 4. Martii 1611. coram R. P. D. Lugdunen. nu. 6. qua est de- 17
 ciso 297. apud Farinacium p. 1. recentior. hic fit ut probandum quem esse
 nobilem, testes deponentes pro ratione dicti debeant dicere se cognovisse pa-
 trem, avum, & majores eius omnes, nobiles, & nobiliter viventes, qui pro ta-
 libus se tenebani, & reputabant, nobilium, actus, mores, status, & conditio-
 nes facientes, & exercentes, & pro talibus sunt habiti & reputati inter omnes
 de his cognitionem habentes Bartol. in leg. 1. numero 98. Codice de dign. lib. 12. 18
 parum enim est illos nobiles fuisse nisi etiam illud accesserit ut nobiliter vixerint

Guido

Guido Papa q. 391. Sed & nobilitas generis probari potest ex antiquis familiæ instrumentis ex quibus appareat nobiles avos & proavos illius de cuius nobilitate controversatur. Verba enim illa enunciativa licet inter alias partes, & ad aliud prolata probant, propter antiquitatem; maximè vero, si aut coram Principe aut apud Rationales Principis instrumenta illa conscripta proponantur. Neque enim facile credendum est Principem, aut Rationales permissores, ut nobilem se diceret, qui nobilis non esset, cum non solum publicè, sed etiam Principis interfit, ut Nobiles ab Ignobilibus distinguantur, ita Senatus Sabaudia 15. Kalend. Ianuar. 1590. quod Placitum refert Ant. Faber lib. 4. definit. tit. 14. definit. 17. Sed apud nos in perillustri nostro Capitulo Leodien. ex laudabilissimo tuto, hoc amplius requiritur, ut testes producendi super nobilitate alicujus in Canonicum recipiendi, sint quoque ipsi nobiles, & ex nobili & generoso genere legitime procreati, & descendentes, ac ut tales inter nobiles & generosas familias in loco originis vel residentie habitati, reputati, & recepti fuerint, gaudentesque privilegiis & prerogativis nobilium, & generosorum: & talis reputatio probatur per notorietatem apud Hispanos, ut notat D. Io. Gutierrez lib. 3. pract. quest. 9. 16. nu. 99. Nihilominus huiusmodi reputatio, & communis opinio, quæ de iure sufficit ad probandam nobilitatem, & in Hispania Hidalgunam debet esse immemoralis text. in l. Cognitionem de Var. & extraord. cognit. in l. providendum ibi. glo. Bald. & Salicet. C. de postulando Rart. in d. l. 1. nu. 97. Lucas de Pena in l. mulieres col. 2. de dignit. lib. 12. Fely. in c. super eo de testibus. Ripa lib. 2. respons. c. 26. Tiraquell. de nobilitate c. 10. Lud. Rom. figu. 289. Latè Orator. de Nobilitate c. 10. Mascard. de conclus. 1096. probationem dico non presumptionem: quia reputatio, & notorietas nobilitatis est fortior, quam presumptio ignobilitatis contraria, ut ostendit D. Gutierrez d. loco. & lib. 3. pract. q. 9. 14. num. 124. Sed & probatur nobilitas ex antiquis habitationibus ut decidit Rota 1612. Ianuar. 19. coram R. P. D. Damasceno apud Farinacium decis. 32. part. 1. & decis. 504. 11. part. 2. ac etiam ex eo quod quis fuit admissus inter nobiles, ut resolvit eadem Rota Rom. in una Zegobien. coram R. P. D. Damasceno 3. Iunij 1613. qua extat apud eundem Farinacium decis. 494. nu. 7. p. 1. licet hanc genericam probationem non sufficere putem, ubi à statuto requiritur probatio nobilitatis antiquæ, Farinac. decis. 535. nu. 1. ubi etiam nu. 5. dicit nobilitatem unius fratris, non probari ex nobilitate alterius, imò non probari nobilitatem ex eo, quod quis sit de familia nobili, cum possit esse aliquos ex eadem familia reputari nobiles, alios non item, nisi tamen probata esset nobilitas ascendentium. Farinac. d. decis. 535. Ideo is censetur esse de eadem familia antiqua, cuius pater, & avus sic vocabatur, & maximè si gestabant insignia gentilitia illius familie antiquæ, ut notat noister Alphonsus in Reg. prerogat. Iulij 11. 3. p. pr. arg. l. stigmata C. de Fabric. lib. 11. & 17. 43.

cap. Si Iudex laicus de sent. excom. lib. 6. Ex quo inferitur, quod talis quis praesu-
 mitur, qualis nominatur, vel ejus insignia docent, concurrente praesertim pro-
 batione familiae Guimer. ad Pragmat. Sanctio. tit. de collatio. ubi sup. Hinc fit ut
 jus patronatus probetur etiam per insignia alicujus familiae sculpta in Ecclesia
 Imo. cons. 60. nu. 1. Et ita decisum coram R. P. D. Pamphilio in una Pamphilonen. 30.
 Octob. 1613. quae extat apud Farmacium decis. 518.

Verum, insignium mentione occurrit elegans & curiosa quaestio, à quo tem-
 pore ceptus sit usus insignium gentiliorum, quae vulgus arma nuncupat, an
 nimirum fuerit receptus temporibus prisca? sunt enim qui existimant nul-
 lum insignium gentilitiorum usum fuisse temporibus Romanorum, moti potis-
 simum ratione hac, quod in historijs antiquis, cum sacris, tum profanis, nulla
 eorum fiat mentio, licet de imaginibus creberrimè loquatur. Est autem ima-
 go, ut Polyb. lib. 6. Histor. scribit, insignis alicujus viri simulachrum, oris si-
 militudinem artificiosè effictam, coloribus, pigmentisq; adumbratam referens,
 quam in atrijs domus, siue etiam bibliothecis positam, ligneo armario inclu-
 debant. De his, inquam, imaginibus frequens apud scriptores nostri & anti-
 qui aui mentio, Seneca Epist. 44. non facit nobilem atrium plenum sumosis imagi-
 nibus, animus facit nobilem &c. & 3. de benef. c. 28. Qui imagines in atrio exponunt
 &c. in parte adium collocant; cujus ritus rationem affert Valer lib. 5. c. 8. Effigies
 majorum cum suis titulis idcirco in prima adium parte poni solere, ut eorum virtutes po-
 steri non solum legerent, verum imitarentur. Sed & Thecis ligneis, ut dixi imagi-
 nes istae quae humerorum modo tenus oris simulachrum effingebant, colloca-
 bantur, siue etiam armarijs ut Plinius scribit lib. 35. Expressi cera vultus singulis
 disponebantur armarijs, ut essent imagines quae comitarentur gentilitia funera atque
 istae thecae, ut curiosè advertit I. Lipsius lib. 1. Electo. & ante eum Alex ab Alex.
 lib. 5. genial. dier. c. 24. & Carolus Sogonius lib. 2. de antiquo jure Civium Roman.
 c. 20. diebus festis, aut lætioribus tantum aperiebantur, alias, ut videtur, clau-
 se. Vopiscus in vita Floriani; Tantum illud dico, Senatores omnes ea lætitiæ esse ela-
 tos, ut domibus suis omnes albas hostias cederent, imagines frequentes aperirent, convivium
 sumptuosiora praberent. adduntque titulos imaginibus affixos, siue honorum in-
 diccs, rerumque in magistratu gestarum: Tibullus:

Non tua majorum contenta est gloria fama,
 Nec quæris, quid quaque index sub imagine dicat.
 Horatius ————— populo qui stultus honores
 Sæpe dat indignis & samæ servit ineptus.
 Qui stupet in titulis.

Denique, imagines istae, ut in diebus lætitiæ laureis sertis, & floribus orna-
 bantur,

Mmm

bantur,

bantur, ita in luctu, & gemitu familiarum, tanquam conficiæ essent & tacita mortalia funestarentur, à propinquiorebus deformabantur, tantoque honore dignas putabant, ut illas cum singulis imaginum titulis, illorum præcipue, quorum dignitas, maximèque res gestæ fuere, in exequiarum pompa extra edes producerent, & longa serie velut familiarum decora repræsentarent, illasque defunctorum exequias, & una funus comitarentur, *Alex. ab Alex. d. c. 24. lib. 11. Annal. Firmemus Taciti auctoritate: Is igitur lib. 11. Annal. scribit: Contra Mesallianæ imago Libonis exequias posterorum comitaretur, censuit Silius quoque lib. 10.*

*Non conjux nativæ aderant, non junctæ propinquo,
Sanguine turba virum? aut celsis de more feretris,*

Præcedens prisca exequias decorabat imago.

Ex quo etiam Silius versu patet imagines defertæ solitas in periculis oblongis ad instar ferculorum triumphorum, & Polyb. lib. 6. *Histor.* narrat imagines istas publicis sacrificijs illos adhibuisse, festisque diebus armarijs apertis illas exornasse? cum verò ex domesticis quispiam esset mortuus, in funere extulisse, addito, ut magnitudine quam simillimæ apparent, reliquo temporis trunco, vestibus autem exornatus si consulares; aut cum insperio fuissent, prætextis; si censorij, purpureis; si triumphales auro intextis, atque curru, fascibus, & securibus: alijsque magistratuum insignibus prælatis, in rostra perlatas. Verùm enim verò istas sibi ponere non omnibus licuit, sed ijs tantum qui Curules magistratus possiderent, quorum primus fuit Aedilitas, unde Cicero in Verrem dixit se Aedilem designatum, adeptum esse antiquiorem in senatu dicendæ sententiæ locum, togam prætextam, sellam Curulem, jus imaginis, ad memoriam posteritatis prodendam. Imago autem idcirco valuit ad memoriam posteritatemque prodendam, quia inde nobilitas ducta est. Nobiles enim fuerunt qui majorum suorum imagines ostendere potuerunt. Hinc apud Livium Anticus Martius nobilis dicitur una imagine Numa, pulchrè Propert.

Tota licet veteres exornent undique ceræ,

Atria, nobilitas sola est atque unica Virtus.

Igitur imagines ut ex prædictis apparet memoriæ dumtaxat, & excitandæ juventutis ad virtutem causa custodiebantur.

An ergò nullus apud antiquos, qualis apud nos insignium gentilitiorum usus? fuit certè, & quidem inter viros nobiles, quibus tantum (ut hodie teste Panor in c. dilecta de excess. prælat, & D. Beleo in quæst. illust. q. 5.) licitum arma gentilitia gestare. Exemplorum abundè est apud Ant. *Tesaurum de off.* 269. scribentem vidisse se apud amicum quendam libellum in quo aderant arma & insignia antiquorum Haroum, nimirum Menelai gerentis Hipogrifum argenteum in scuto rubeo: Aiæcis Telamonij apros duos aureos in campo rubeo.

Prothe-

Prothesilai duos Urso rectos se invicem respicientes coloris nigri in campo aureo: Ulissis Hypoghrphi in campo bipartito, ejus superior pars bipartita erat, inferior caelestis, coloris: Achillis Tigrem auream in campo rubeo. Deniq; aliorum multorum huic scriptura, & merito, haud temere credit Thesaurus, nec ego etiam illam in magno haberem nisi scriptorum autoritatibus sententia hæc firmaretur: pro quâ affertur Atheneus *lib. Dipnosoph. 12. c. 14.* ubi de Alcibiade loquitur: *Nam & scutum inquit, habebat ex auro, eboreq; confectum in quo erat insigne, Amor, qui fulmen flexerat & de filio Herculis, Virg. lib. 9.*

— *Status Hercule pulchro*

Pulcher Aventinus, clypeoque insigne paternum.

Centum angues, cinctamque gerit serpentibus Hydram.
Vt & Ovid. *lib. 7. Metaph.* ubi de Aegeo & Theseo.

Cum pater in capulo gladii cognovit eburno,
Signa sui generis.

Insiper Tranquillus in *Caligula c. 37.* scribit eum *insignia familiarum nobilissimorum cuiq; ademisisse Torquato torquem, Cicinnato crinem.*

Adhæc in actis Apostolorum *cap. 28.* legitur de navi Alexandrina, cui erat insigne Castorum, id est figura Castoris, & Pollucis, qui Grecis Dioscuri id est Jovis filij dicebantur. Denique Plutarchus opusculo cui titulum fecit *Decem Oratorum*, scribit Demosthenem in clypeo pinxisse bonam fortunam. Ex quibus fit ut animum inducam ne credam antiquos caruisse in sinibus gentilitiis, sive eorum usum non habuisse, in quâ tamen opinione Alciatus *lib. 5. Parergon. cap. 13.* sed debili admodum nititur fundamento: Nam quotquot legi, in ea esse sententia vidi, ut adstruant, non solum veteres insignia, sive ut vulgo, arma gentilitia habuisse, quæ in clypeis seu scutis pingi solebant: verum etiam, Cymærium, nam sicut clypeum ornabat insigne, ita etiam galeam ornabat Cymærium, quod super imponebatur non tantum ad illius ornamentum, sed etiam ad hostium terrorem: cum galeæ, & Cymærij altitudo majorem equitis seu militis staturam ostenderet: quod aperte indicat Polib. *lib. 6. pag. 500.* verbis his: *Præter hæc omnia adornantur coralla plumea, pennisq; tribus puniceis, aut nigris erectis, longitudinis ferme cubitalis, quæ cum in summo vertice cæteris armis addiderint, vir quidem apparet duplo maior quam sit, eius verò aspectus pulcher, hostibusq; terribilis.* Itaq; in usu erat ut galeæ superimponeremur non solum pluma, sed etiam aliquid terribile, & monstruosum, ac potius Cymæricum, seu fantasticum, quam naturale, ut leo alatus, aut Draco flammæ ore vomens, aut bos alatus, aut alia similis Chimera, unde remotâ litterâ H Cymærij derivatur, ut notat idem Thesaurus dicto loco. Atq; ex isto veteri ritu processit, in nosq; derivavit usus

Mmm 2 ille

ille insignium gentilitiorum, quæ familia nobiles ab aliis itidem nobilibus discernebant. In quo tamen advertendum, ut si collateralis à stipite familia distincta gerat insignia, aliqua nimirum nota, aut fascia ab integris stipitis seu primogeniti familia insigniis, nihilo magis esse tales collaterales ignobiles, cum inter familias nobiles jam ab omni ævo mos ille inoleverit, ut inter Collaterales distinctio quædam apponatur, integris manentibus insigniis penes primogenitum, eiusque successores: dignitas enim familia debet servari in primogenito, quo decedente secundo genitus gestat insignia familie integra, & oblique ulla nota aut scissura, quam Galli *brizeure* nuncupant, ut doctè, & curiosè notat, discutitq; Joannes Scudier in suo tract. de l'Etat & comportement des armes, & novissimè D. Jo. Gutierrez Canonicus Ecclesiæ Civitaten. vir doctissimus lib. 3. pract. q. 9. 26. num. 42. qui citat D. Jo. Molina de Primogen. Hisp. lib. 2. cap. 5. per tot. Neq; eo secus ut dixi desinent esse nobiles, præsertim qui à Principe, vel Duce, vel Marchione de feudo investiti sunt, ut notat Ercadius. Cujacius lib. 2. feud. tit. 10. verbis his: Et ita hodie quibus locis res ita geritur inter fratres, ut feudum frater major natu præcipue obtineat, & cæteris aspergat cæteram partem, cæteri non minus suas partes nobiliter tenent, quam frater major natu, nec minus dicuntur esse pares in feudo, & à majore quidem fratre dicuntur feudum tenere jure paragij, gallicè *en paroye* sive *en parage*, quo sensu etiam dicitur *Paragium* in Constit. Neapolitan. 3. tit. 26. sed ejus conditio talis est, ut pro eo nullam fidelitatem fratrem fratri jurare, aut repromittere debeat. De quo jure Panagij sive Paragij vide Renat. Choppinum, tract. de Domino lib. 1. tit. 5. & passim lib. 2. Itaque sive frater major natu feudum nobile possideat ex asse, sive non, sive etiam integra gestet familia insignia, aut aliter, insque deque est quoad Collateralium nobilitatem. Nam primogenito decedente, inquit Chafancus, lib. gloriæ mundi conclus. 76. secundus poterit portare arma Domus, seu familia integra: & ratio est, quod jam factus sit primogenitus: nam primo defuncto, & excluso, secundus sequens dicitur primus, & tertius dicitur secundus, & sic de singulis Guilhel. à Monteferrat. tract. de success. Regum in 2. dubio num. 35. in fi. & nu. 20. ubi scribit moris esse inter nobiles, ut in descendentes omnibus, præterquam in primogenito, velut in capite, ponatur aliqua differentia, mediante qua ab aliis discernatur atque cognoscatur.

Atq; ita factum in familia nostra de Chokier, quæ gradatim ab antiquo derivata à nobili prosapia & feudo de Chokier propè Leodium, cujus possessores à primogenito & stipite nostro descendentes semper integra illius familiae nostræ insignia (quæ sunt crux Burgundica rubea in scuto seu campo aureo cuius apertam cassidem exornat Cymerii loco Moyses radiatus eadem cruce antrosum insignitus) geltaerunt. Majores verò mei eorumq; successores ex secundogenito descendentes, discrimen aliquod iisdem apposuerunt, quò à primo

primogeniti insignis distincta, pro more inter nobiles recepto, apparent; usque dum linea primogeniti agnationis nostrae deficiente, integra resumpserunt Matris verò meae primogenitores, quòd ex primogenitis ortum ducerent, integra insignia gentilitia portarunt antiquae & nobilis familiae de Linster, sive gallicae Linchier patriae Luxenburgensis (quae sunt duae rectae fasciae rubrae, quas barras vocant in scuto argenteo, cujus apertae galeae pelicanus aureus pullos fovens insidet) ex qua familia paternum genus matris meae derivatur. Verum, haec obiter dicta sunt: quae alioqui invidiam cedere mihi non debent, magis quam Alphonso nostro qui in occasione, licet alia, nobilem suam pro sapiam pandere non dubitavit ut in Reg. xv. & in Reg. Julij III. par. 3 princip. aliisque in locis. Quid? quod Budeus, Mynsingerus, Bertrandus Argentreus, Julius Caesar Scaliger, Justus Lipsius, aliisque sextenti à litteris & natalibus clari, sui claritudinem generis è se nata prodiderint, censo iam notam nequaquam experti sunt. Etenim nulla equè valida sunt praecipua ad verum aeternumque honorem, quam maiorum stemmata beneque acta vita ob oculis posita, quibus nepotes & posteri videntes se non ex pudendis parentibus, sed ex honoratis nobilibus ortos, mirum in modum ad virtutem accenduntur, atque ad eam plerumque constantiam animique magnitudinem extimulantur, ut eò perveniant, quòd unus aliquis de multis operosae tædio virtutis aspirare nequaquam sustineret. Hinc praecclare Cicero: *Optima hereditas à parentibus traditur liberis omnique patrimonio praestantior, gloria virtutis rerumque gestarum, cui dedecori esse nefas, & vitium iudicandum est. lib. 1. de off.* Sola tamen stemmata sine virtute proposita minus laudantur, sed quia interdum hi quos majorum lux nobilitavit, agnatum sibi quoque illorum virtutem habeant. Alias, qui sola parentum nobilitate gloriantur, neque morum probitatem generis splendori opponunt, mihi profectò similes statuis sive Cenotaphiis videntur, in quibus praeter nomen, nihil est additamenti.

*Quis enim generosum dixerit hunc, qui
Indignus genere & praclaro nomine tantum
Insignis?*

In Cicerone legimus quod cum ab eius amicis moneretur suum ut cognomen mutaret, utpote quod dieteriis obnoxium erat, aliudquæ adscisseret, respondit se Ciceronis nomen illustrius effecturum, quam esset Catonum, aut Catulorum, aut Scavorum: nam haec familiae cum primis illustres erant apud Romanos, cum Tullius esset homo novus. Cognomen autem ideò patebat cavillis quod à cicere vilissimo legumine dictum videretur. Quasi verò non & Fabij à fabis, & Lentuli à lente cognomen habuisse viderentur. Parum illustris est, qui praeter imagines & cognomen nihil habet nobilitatis; pulcherrimum autem nobilitatis

Mmm 3

litas

litas genus est, quam sibi quisque propriis virtutibus conciliat. Hincque Alcibiadis filius apud I. Socratem Oratore de Bigis patrem suum præcipue dilaudat, quod cum claris esset ortus parentibus, ab illorum virtute nunquam degeneravit, neque otio ac luxu diffuens majorum virtute gloriaretur, sed tanta è vestigio animi magnitudine fuerit, ut existimaret oportere se propter semetipsum non ob illorum res gestas celebrari. Quid quæris? hoc ipsum Icti nostri satis intellexerunt, dum Doctores huiusmodi voluerunt gaudere privilegiis, quibus ipsi nobiles, cum non minori sint digni nobilitatis præmio, quam ipsi milites & nobiles, atque ita privilegia militum extenduntur ad Doctores Cynus & Salvet. in l. c. de iuris & facti ign. qui etiam merito nobiles reputantur. Bal. in l. providendum ibi text. C. de Postul. Ripa in l. Centurio in pr. num. 15. ff. de Vulg. & pupill. cum admittantur ad prærogativas & officia nobilium, eorumque immunitatibus gaudeant. Azaved. in l. 2. tit. 10. lib. 8. Novæ Collect. Reg. nu. 108. D. Gutierrez lib. 5. pract. quest. 9. 17. 5. & seq. unde fit ut in nostra Reg. graduati gaudeant eadem prærogativâ, quâ ipsi nobiles, idemque dicendum in omnibus aliis prærogativis nobilibus à jure vel statuto concessis. Sed satis sit talium: regredior ad textum Alphonfi.

C In Hispania vocantur Fidalgos) Etymon hujus vocis Fidalgos vel Hidalgos, illud traditur nempe à Hidalgo, quasi dicas Gothi filius, ac si essent filii Gothorum, tempore quo Hispania à Mauris occupata fuit, & Gothorum Imperium penitus concidit, quasi maximè essent in oculis omnium, nobilissimique perinde ac si filij eorum essent, qui Imperium Hispaniæ novissime tenuerant: quod ipsum nomen significare videtur: quia cum hoc nomen *Hyo* habet relationem ad patrem, quasi ex patre velit ostendere nobilitatem, & sic quod dicimus Fidalgus, perinde est, ac si dicamus filius Gothi. Ita Dominus Jo. Gutierrez auctor Hispanus in libris pract. q. lib. 3. quest. 13. nu. 19.

D Ex aliqua Baronissa, & aliquo Villano.) Multo ergo magis natus ex matre Villana, ut illius verbo utar, & aliquo Barone, ut probat Dominus Vaz. mcl. conf. 21. nu. 4. & latè Tiraquel. de Nobilit. c. 18. Ant. l. 9. definit. Foren. definit. 16. quia plebeja genere mariti nobilitatur ex Constitutione leg. mulieres Cod. de dignit. nobilitas enim ducitur ex genere, eò quia, ut Galli dicunt *La vergo amilla* 46. Cuiacius consultatione 36. si tamen post mariti nobilis mortem nuberet plebejo, 47. caderet dubio procul privilegio quæsitæ nobilitatis, Ant. Faber d. lib. 9. definit. Foren. tit. 29. definit. 17. Cæterum, ut etymon vocis latinæ paganus à pago, ita 8. vocis barbaræ Villani à Villa, quod est prædium rusticum, ut in leg. 1. §. five autem ff. de fundo instructo in quo significato Villani & rustici nobiles dici possunt à villa & rure, ideoque non omnis est ignobilis & plebejus, quisquis ruri 49. habitat, ut inquit Jaf. in §. item Serviana nu. 26. instit. de actio. etiam si propriis manibus

DE DISPENSAT. SVPER DEFECTV NATAL. ET NOBIL. &c. 467
manibus labore, dummodo viles artes non exerceat. *Guido Pape decis. 11. & 41.*
Tiraquell. de nobilit. c. 2. nu. 54. *Avenda in suo Dictionario in verbo Cavaleto Vincent.*
de Francis decis. 128. nu. 4. *Rebuff. ad Constit. Reg. tract. de Mercato. art. 1. gloss. 1.*
num. 24. Viles enim & sordidas artes exercentes quales sunt qui tabernariam
exercent l. humilem. *Cod. de Incest. nuptijs Cic. lib. 1. de offic. nobilitate generis*
amittunt, licet inde non officiant liberis. Absurdum enim à patre solo auferri
filij quod non à solo patre filij habent, *Ant. Faber. definit. Foren. lib. 9. d. tit. 29.*
definit. 1. etiam si nati sint eo tempore, quo jam amissa erat nobilitas, *idem Ant.*
Faber d. lib. 9. tit. 29. definit. 25. *Tiraq. de Nobilit. c. 35.*

Quid in mercatura? amittitur nobilitas si illius usu actuque vivant, licet ipso
jure reassumant nobilitatem desistendo, *Ant. Faber. lib. 9. Definit. Foren. tit. 29.*
Definit. 1. *Rebuff. d. glo. nu. 21.* quod verum intelligant in eo qui ex nobilibus
parentibus natus est, secus autem in eo qui de novo nobilitatus est: nam illum
nobilem natura produxit; hunc non item. Idem in Francia, inquit *Rebuffus*
littera à Rege impetrantur, ut negotiatio, illiusque exercitium non noceat nobili
qui exercuit mercaturam, quod verum in eo qui ex privilegio & sola Principis
concessione nobilitatem sibi quaesivisset: nam si ab antiqua prosapia nobilis
fuit, sola desistentia recuperat nobilitatem, neque ulla indiget Principis rehabili-
tatione, *Ant. Faber. d. definit. 1.* *Argentens ad Consuet. Britan. art. 155. glo. 1.*
Verum ut redeam unde digressus sum, nobilis à rustico non loco ipso sed gene-
re, virtutibus, & divitijs distinguitur, l. si pradium. *C. de prael. minor. Tiber De-*
tion. cons. 66. nu. 42. & 43. lib. 3. Nihilominus honoratior est eorum nobilitas,
qui civitatem incolunt. *Ias in S. serviana nu. 26. instit. Dominus Gutierrez pract.*
q. lib. 3. q. 13. nu. 50. Unde, ego manum non verterim, habitet ne in civitate,
an ruri nobilis, dum ipse nobiliter & splendide vivat, nam per not Baldi *in l. 3.*
quae incipit nobiliores de Comerc. & mercat. dicitur ille nobilis qui ex proprio suo
patrimonio vivit non exercens artem mechanicam aut mercaturam *VVurnser. pract.*
obser. lib. 1. obser. 2. quod eatenus probò, si à nobilibus ortus si parentibus; quiq;
exemptus est ab oneribus & tributis plebeiorum l. 1. *& per tot. C. de Dignit. lib. 12.*
Ant. Gomez. in l. Taurin. l. 79. nu. 6. & hunc talem nobilem habebò etiam si habi-
tet in Civitate, & vocetur apud nos *Bourgeois* live *flandricè Burger*, sedeatque in-
ter eives, cum ista possint se invicem compati, ut sit civis & senator, & de ge-
nere equestri, ut decidit *Rota in una Monasterien. Canonatus Junij V. anni 1573.*
toram R. P. D. Seraphino qua est in decis. ejusdem Seraphini sub nu. 207. Imo quod
Judicem aut Advocatum quispiam egerit nobilitati suae non officisse *Placito*
Curiae Parisien. est decretum, Io. Chemu in addit ad Papon. lib. 5. tit. 4. arresto 4.
aliter atque si Procurator caussarum fuerit: quia is perdet nobilitatem suam,
Chassaneus ad consuetud. Burgund. tit. des droits appartenants aux gens mariez entre
gens nobles. S. 19. num. 21. *Bertrand, Argentens ad Consuet. Britania tit. des Justices*
ART. 40.

ar. 40. quod hæcenus admittunt Sabaudi & meritò si apud inferiores Judices procuratoris officium exercent, secus si apud Senatum quem Principis dignitatem & auctoritatem præferre haud dubium est *Ant. Faber lib. 9. C. tit. 29. de finit. 6.* Cæterum, ne à lineis excidam, adque propositum redeam, gaudebit prærogativa hujus Regulæ, si quis fuerit natus ex nobili matre, & patre ignobili, vel ex patre nobili & matre ignobili, cum privilegia nobilibus concessa, competant etiam eorum uxoribus, ipsorumque liberis, quamvis illæ nobiles non sint *Io. Gutierrez in suo doctiss. tract. de Juramento confirmatorio part. 1. c. 16. num. 38.* Atque hoc quidem quoad prærogativam hujus Regulæ, non etiam nobilitatis. Hinc fit ut si mater sit nobilis & pater vilis & plebeius, filius & descendens erit plebeius, & non gaudebit privilegio, seu prærogativa nobilitatis *tex. not. in l. Nobiliores C. de Commere. & mercat. Ant. Gouyean ad leges Tauri l. 79. nu. 7.*

E *Baccalaureus*) Baccalaureum à baccalauri deducit Alciatus *lib. 8. Parag. 17 c. 10. & Mand. ad Reg. 16. Cancell. q. 11. nu. 3.* Nam ut Athletæ tribus olim coronis in sacris certaminibus ornabantur, *l. 1. C. de Athlet. lib. 10.* ut vacationem mererentur, ita & tres gradus Doctorem habere decet, nimirum primum quem à baccalaura, qua solebant coronari, *Baccalaureum* dicunt, qui conferebatur illi qui quadriennium studij juris operam dedisset, quem *lyam* vocabant, alterum qui *Licentiarum* quos Justinianus *Prolytas* appellat, isti enim propter eminentiam doctrinæ licentiam Doctoralia insignia suscipiendi, unde & *Licentiatii* dicuntur solo insignium honore à Magistris seu Doctoribus differentes, qui à Justiniano si prudentiam profiteantur, *Antecessores* indigetantur. Verum hæc Alciati Etimologia non mihi arridet: magis placet illa quam prodidit Pontanus *Progym. vol. 1. progymnas. 38.* qui *Baccalauri* vocem à militia deductam credit. Gallorum enim veteri lingua *batallum* prælium, & *batallarios* tyrones milites, quique caltra sequi, & militiæ exerceri cœpissent, ac semel manum cum hoste conservissent, nominatos. Hinc postea in Academia Parisiensi per antiqua, ubi hæc promotiones videntur natæ, *Batallarios* appellari solitos, qui in studiis ingenuarum artium, quasi tyrocinium posuissent & publicè disputando specimen eruditionis suæ præbuisent, atque ita tanquam cum hoste jam conflixissent. Quod ergo Alciatus & Mandos, alijsq; de bacca & lauro philosophantur, trivolum est, ac nugatorium sensu Pontani, *Laurus* id est corona, & lauri folijs contexta, debetur Poetis tantum? (de doctis loquor; nam quis ignorat etiam Imperatorum, & militum triumphantium esse lauream?) præterea nullis, idque ob certas causas, quarum hic non est necessaria commemoratio. Cæterum, consuetudo & ignorantia, ut alias innumeras, sic istam vocem depravavit, ac pro *Batallarijs*, *Baccalarios*, deinde *Baccalauros* in sermone latinum induxit. Atque hæc etymologi propius videtur abesse à vero quam etiam illa quæ tradit Dñs D. Argentreus *ad consuet. Britan. art. 88. & tract. de Nobilit. q. 14. qui*

Bacc-

Baccalaureum deducit à voce *Buccellarius*, qui Visigothorum aëvo & tempore Gregorij Turonensis Stator aut Satelles regius dicebatur.

Argumenta in Regul. Li. INNOCENTII VIII.

1. **R**egula hæc non comprehendit Baccalaureos juris.
2. Clausula in fine posita, refertur ad omnia contenta in eadem dispositione.
3. Dispensatio ad duo incompatibilia, intelligitur de duobus primis.
4. Hæc regula concernit expeditionem litterarum, ideo non est danda.
5. Hæc regula non est inter regulas Pauli v. & quare.
6. Pontifices interdum dispensant ad plura beneficia, maximè in Germania & Polonia.
7. Dispensatus ad plura beneficia intra certum tempus, quo finitio, si non dimittat aliud, primo erit privatus ipso jure, & si verumque retinere contendat, utroque.
8. Dispensatio non prodest ei cui beneficia canonice non sunt collata.
9. Execrabilis demum excurrit pœnam execrabilitatis post pacificam secundæ possessionem, non sterilem, sed quæ commodo fructuum fruatur.
10. Effectus possessionis consistit in perceptione fructuum.
11. Qui est in mora, vel negligentia quominus fructus recipiat, censetur pacificè possidere, & incurrit in pœnam execrabilitatis.
12. Episcopus seu Legatus non potest dispensare in duobus residentiam requirentibus.
13. Clausula restrictiva in dispensatione ad duo incompatibilia, & nu. 12.
14. Gradus Baccalaureatus, non est necessarius ad gradum doctoratus in Italia nec Belgio. Sed aliud in Gallia & Hispania: & unde deducatur Baccalaureus.
15. Stylus Romanæ Curie est, ut dispensatus ad unum beneficium obtinendum possit in permutatione primum dimittere, & aliud admittere absque nova dispensatione.
16. Dispensatio de obtinendis duobus intelligitur de duobus primis.
17. Dispensatus ad plura beneficia censetur dispensatus à residentia.
18. Cum conceditur aliquid, omnia censentur concessa, sine quibus concessio uti non possumus.
19. Dispensatus ad duo beneficia sub eodem tecto, poterit illa retinere, etiam si alteri beneficio sit unitum aliud in eadè Ecclesia, quamvis hoc in dispensatione non fuerit expressum.

Nnn

Regula